



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma  
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter  
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1688**

Tent. IV. Circa pericula corporis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

qui inter summos labores & difficultates tantis deliciis  
& consolationibus cœlestibus affluebat, ut exclamare  
cogeretur: *satis est, Domine, satis est.* Sed & P. Henriquez;  
teste Orlandino p. 1. hist. Soc. l. 8. n. 1. affirmavit,  
tantâ in medijs pro animarû salute suscipiendis  
laboribus esse copiâ divinarum consolationum, ut quis  
vis mallet his laboribus frangi, quàm subito in celum  
rapi. In sede Juliacensi verò Provinciæ Peruanæ,  
ceteri operarij nostri summos labores exhaurirent, omnino  
que terreno solatio carerent, tam incredibili tantorum  
eorum animi voluptate perfundebantur, ut sedes illa  
*Domicilium lætitiæ* fuerit nominata, ut literæ anno  
1603. Provinciæ Peruanæ testantur, ut adeo meminerit  
tales operarij de laboribus suis dicere queant, quod  
David de doloribus Ps. 93. dixit: *Secundùm multitudinem  
dolorum meorum in corde meo (& laborum) consolationes  
tuæ lætificaverunt animam meam.*

## §. IV.

*Tentatio IV. circa pericula corporis.*

LII. Lucas cooperator advertens pestilentie contagionem  
ingruere, ob quam rogatus a Parocho suo est, ut Pestiferorum ministerio  
poni se patiatur, nullatenus adduci potuit, ut huic propositioni  
assentiretur, assiduò prætendens vitæ amittendum  
periculum, quod ex tali ministerio sibi certissimè  
minere credebatur. Quæritur, quomodo roboratus  
fuit à Parocho contra talis periculi timorem.

*Responsio.*

LIII. Inprimis meminisse eum jubet, quàm multos  
in tali periculo constitutos DEUS illæsos servaverit, &



eduxerit, ut meritò hîc locum habere videatur effatum Alceræ cuiuspiam dicentis: *vita, quæ propter virtutem despicitur, per virtutem melius conservatur.* uti præ alijs expertus est S. Carolus Borromæus Archiepiscopus Mediolanensis, qui, licet summa cum sedulitate plurimis pestiferis inserviêrit, semper tamen ab iisdem sanus & incolumis discessit, ut vita testatur.

LIV. Secundò pariter jubeat eum meminisse, quòd hoc ipso, quòd curam animarum susceperit, etiam Pastoris munus assumpserit, atque adedò tanquam bonus Pastor animam suam pro ovibus suis debeat, uti Christus partim verbo Jo. c. 10. partim exemplo docuit, cui etiam adstipulatur S. Basilius reg. 80. c. 14. & 16. dicens, operarios debere esse Pastores ovium Christi, qui, quando cunque tempus postulat, ne animam quidem pro illis ponere dubitent, ut Evangelium illis impertiant. Imò & Patres ac nutrices illorum esse debere, qui ex magnitudine ejus, quæ in Christo est, charitatis, parati sint, libenti animo communicare non solùm DEI Evangelia, sed suam ipsorum vitam.

LV. Tertio illi ostendat, quàm multi reperiantur, qui cum iisdem periculis corporalia ministeria magna cum alacritate ac sedulitate exhibent iis ipsis, quibuscum ipse agere formidat; quàmque adedò erubescere ipse debeat, si illos lucri temporalis causâ tam generosè contemnere videat pericula talia, & ipse ob spem inæstimabilis præmii, lucrique animarum eadem subire formidet.

LVI. Quarto denique eidem demonstret, quàm pretiosa in conspectu Domini, & optabilis sit mors, quæ in tali obsequio charitatis incurritur, talis scilicet, quæ ipsi Martyrio comparetur; sic enim S. Lauren-



tius Justin. l. de SS. Martyr : expressè ait : *Magnum prorsus est Martyrii genus, utro se pro Christi amore dare periculis. Audi sine ferro Martyrem ex sola claritate morientem.* Et ideo in Romano Martyrologio 28. Febr. etiam recensentur illi Presbyteri, qui Alexandriæ, cum sub Valeriano pestis gravissima grassaretur, morbo illo laborantibus ministrantes, libentissimè mortem oppetièrunt, quos velut Martyres Religiosa piorum fides venerari consuevit; de quibus etiam S. Dionysius Episcopus Alexandrinus apud Eusebium l. 7. c. 16. sequens testimonium protulit: *Patribus, qui virtute erant præstantissimi, in hoc modum mortem oppetièrunt, adeò ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, et robustam fidem suscipiebatur, nihil à splendore Martyrii abesse videretur.*

## §. V.

*Tentatio V. Circa pericula anima.*

LVII. **L**iborius Parochus, cum frequenter illam tentationem animo volveret: *Difficile est inter spinas transsari, et inter illas nonungi; et calcare terram pedibus, ita ut nec lutum, nec pulvis eis adherat: Et non rò etiam verissimam esse in seipso adverteret, de gravissimas in Sacramentis administrandis, aliisque functionibus parochialibus obeundis tentationes periebatur; statuit se curæ animarum penitus subducere, aliúmque, qui loco suo eam suscipiat, conmittere. Queritur, quomodo ab hac tentatione sit liberandus?*

Responsum